Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



magna & dixi · heu heu heu domine deus · Consummationem facies reliquiarum israel · Et factum est verbum domini ad me dicens · fili hominis fratres tui · iuri propinqui tui & omnis domus israel quibus dixerunt habitatores ierusalem · Longe recedite a domino · nobis data est terra in possessionem propterea hec dicit dominus deus · quia longe feci eos in gentibus & quia dispersi eos in terris ero eis in sanctificationem modicam in terris ad quas venerunt · propterea loquere · hec dicit dominus israel · congregabo uos de populis & adunabo uos de terris in quibus dispersi estis · dabo ex uobis munus israel · Et introibunt illuc & auferent omnes offensiones eius cunctasque abhominationes eius de illa · Et dabo eis cor unum & spiritum nouum tribuam in uisceribus eorum & auferam cor lapideum de carne eorum & dabo eis cor carneum · ut in preceptis meis ambulent & iudicia mea custodiant faciant que ea & sint michi in populum & ego sim eis in deum · Quorum cor post offendicula & abhominationes suas ambulabat · horum uiam in capite suo puniam dicit dominus deus · Et eleuauerunt cherubim alas suas & rote cum eis & gloria dei israel erat super ea · Et ascendit gloria domini de medio ciuitatis · stetitque super montem qui est ad orientem urbis & spiritus leuauit me & adduxit michaeam ad transmigrationem in uisione spiritus dei & sublata est a me uisio quam uideram & locutus sum ad transmigrationem omnia uerba domini que ostendit michi · XII

Et factus est sermo domini ad me dicens · fili hominis in medio domus exasperantis tu habitas · qui oculos habent ad uidendum & non uident & aures ad audiendum & non audiunt · quia domus exasperans est · Tu autem fili hominis fac tibi uasa transmigrationis & transmigrabis per diem coram eis · transmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conspectu eorum · Si forte aspiciant · quia domus exasperans est · & efferes foras uasa tua quasi uasa transmigrantis per diem in conspectu eorum · tu autem egredieris uespere coram eis sicut egreditur transmigrans ante oculos eorum · perfode tibi parietem & egredieris per eum in conspectu eorum · Inhumeris portaberis et in caligine efferis · faciem tuam uelabis & non uidebis terram quia portentum dedi te domui israel · sicut preceptit michi dominus · vasa mea protuli quasi uasa transmigrantis per diem · & uespere perfodi michi parietem manu · in caligine egressus sum et in humeris portatus sum in conspectu eorum · Et factus est sermo domini ad me mane dicens · fili hominis nunquid non dixerunt ad te domus israel · domus exasperans quid tu facis · dic ad eos · hec dicit dominus deus · Super ducem onus istud qui est in ierusalem · & super omnem domum israel que est in medio eorum dic · Ego portentum uestrum quomodo feci sic fiet illis · In transmigrationem & in captiuitatem